17

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
SALVTARI ET NOXIO DIVRETICORVM MEDICAMENTORVM VSV,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO,
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
AD D. XXIII. IVN. A. S. R. MDCCXLIX.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOHANNES GODOFREDVS CLASS,
GLOGOVIA-SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

VIRO
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO
ET CONSVLTISSIMO
DOMINO
IOHANNI HENRICO
LVCANO,
SACRAE REGIAE MAIESTATI BORVSSORVM
A CONSILIIS INTIMIS,
INCLVTAE CVRIAE REGIAE SVPREMAE,
QVAE GLOGOVIAE EST,
PRAESIDI SECVNDO
SPECTATISSIMO,
DOMINO AC MAECENATI SVO
PERQVAM GRATIOSO,
RES PVBLICAS
SAPIENTISSIMIS CONSILIIS REGENTI,
SALVTEM CIVIVM
OPTIMA ET SPECTATISSIMA FIDE
TVENTI,
PIA DEVOTIONE AETERNVM SVSPICIENDO.

VT ET
SPLENDIDIDISSIMO AC AMPLISSIMO
EIVSDEM LOCI
REGIO COLLEGIO MEDICO ET SANITATIS,
VIRIS
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, AMPLISSIMISQVE
DOMINIS
DIRECTORI,
DECANO,
ET RELIQVIS
EIVSDEM SPECTATISSIMIS
ASSESSORIBVS,
PRVDENTIA, DOCTRINA, VIRTVTE
MVNERVMQVE AVCTORITATE
ORNATISSIMIS,
DOMINIS MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS
OBSERVANTIA, PIETATE ET OBSEQVIO
COLENDIS, DEVENERANDIS,
HASCE QVALESCVNQVE INAVGVRALES PAGINAS,
INTER ARDENTISSIMA
PRO EORVM
SALVTE, INCOLVMITATE, FELICITATE
NVNCVPATA VOTA,
IN VLTERIOREM STVDIORVM SVORVM COMMENDATIONEM
SACRAS ESSE CVPIT,
TANTORVM TAMQVE ILLVSTRIVM AMPLISSIMORVMQVE NOMINVM
CVLTOR PERENNIS,
IOHANNES GODOFREDVS CLASS.



Q. D. B. V.

§. I.



VItam humanam ratione ſanitatis variis abſolui viciſſitudinibus, adeo cognitum ſingulis terrae huius incolis exiſtit, vt nemo ſane de huius aſſerti veritate unquam ſit dubitaturus. Si enim quotidie quaedam in corpus noſtrum ingeruntur, variisque partium motibus ac liquidorum mixtionibus in huius ſubſtantiam rediguntur, multa in his poſtmodum in conſpectum prodeunt, quae tanquam ſuperflua & ad partium corporis naturam non pertinentia, minime intra illud retineri debent, quoniam ſi ibidem manerent, ſanitatem ac vitam potius deſtruerent, quam conſeruarent. Excernenda igitur erunt iuxta leges naturae, motu perpetuo, & reſolutione atque

praeparatione massae ad excretionem, de cuius necessitate quotidiana optimum testimonium praebet experientia. *a*)

a) Conf. *Frider.* HOFFMANNI Medicina ration. system. Tom. I. Lib. II. Cap. VIII. p. 384. seqq.

§. II.

Inter eiusmodi sanitatis praesidia non vltimum occupat locum *diuresis*, siue excretio vrinae, qua particulae cum sanguine ad renes allatae lympha maiores, non solum spirituosae, sed & tartareae, sulphureae, seu pingues, salinaeque mediae, in horum substantia vasculoso-tubulosa *b*) colliguntur, in vasis secretoriis, siue tubulis vrinariis Bellini, pro vehuntur, in papillulis sic dictis renalibus, ad peluim abeuntibus, secernuntur, vbi proprio pondere ac harum viarum mechanica actione descendunt ad vesicam vrinariam, in qua, quia retrocedere nequeunt, conseruantur vsque ad sufficientem quantitatem, qua musculi quidam extenduntur, alii ad constrictionem irritantur. His factis, ob vitalem elasticitatem sphincter vesicae aperitur, & hac ratione vrina per vrethram, mediantibus inspiratione & pressione musculorum abdominis, redditur. Omnes enim viae vrinales, siue communes, siue propriae, componuntur ex tubulis nerueis & musculosis, peculiari elatere & tono, adeoque etiam motu dilatationis & constrictionis, gaudentibus.

b) Vid.

b) Vid. Excellent. HEISTERI Compendium anatomicum, edit. cIↃIↃCCXXVII. p. 80. & 322. it. RAYMVNDI VIEVSSENII nouum vaſorum corporis humani ſyſtema, a pag. 194-199.

§. III.

Vrina itaque a ſanguine ſecreta, & per vaſa dicto ſuperius modo excreta, ſanitatem indicat, quando intuitu characterum ab aliis ſanorum hominum vrinis non differt, nempe quoad quantitatem, contenta, ſubſtantiam ſiue conſiſtentiam, elementa, colorem, tempus conſuetum & modum excernendi ordinarium, vti hoc monſtrant ſcripta celeberrimorum, qui Semiologiam tradiderunt, virorum *c*). Si talis autem quoad characteres dictos ab aliis ſanorum hominum vrinis manifeſto differt, ſanitatem qua dantenus vitiatam, aut iam deſtructam eſſe, oſtendit.

c) Vid. *Chriſtian.* VATER in Semiotica medica, a pag. 116-142. it. Fundamenta Semiologiae medicae, ab Illuſtri PRAESIDE nuperrime edita, Cap. IV. pag. 39. ſeq.

§. IV.

Talis poſterior diureſis vitiata corrigitur ac emendatur medicamentis, quae generali nomine *diuretica* ſalutari ſolent. Sunt igitur diuretica *omnia illa medicamenta, quorum vſu vrinae ſe- & excretio impedita reſtituitur, aut etiam libere ceteroquin ſuccedens magis augetur & acceleratur.* Aſt, teſte experientia, vrina ſponte ſecernitur, & decenti tempore excernitur, ſi nullum adpareat vitium in maſſae ſanguineae

guineae fluxilitate, aut viarum apertura; hinc diuretica erunt omnia, quae massam sanguineam, cohaesione maiori peccantem, reddunt fluxiliorem, viasque, si obstructae a quacunque etiam caussa fuerint, reddunt magis apertas. Quicunque igitur respicit ad modum agendi horum medicamentorum, facile animaduertet, eum variare pro caussarum vrinae se- & excretionem retardantium diuersitate.

§. V.

Ex his praemissis legitimo nexu sequitur, ad diuresin naturalem requiri:

1) Massae sanguineae motum debitum, & intestinum, & progressiuum, per arcus huius visceris arteriosos Ruyschii, qui nec nimis celer, nec nimis tardus esse debet, alias, in priori casu, particulis sanguinis non sufficiens pro adhaesione conceditur mora, & particulae leuiores redditae non adhaerent; in posteriori vero partes non rite resoluuntur, poris crassiores fiunt, & ob grauitatem maiorem specificam tubulis adhaerere & sic penetrare non valent.

2) Partium massae sanguineae ordinatam proportionem, siue, vti aliis audit, *temperiem*, a qua, tanquam materia, dependet motus.

3) Viarum debitam conformationem secundum vasorum capacitatem, pororum magnitudinem, fibrarum, vasa constituentium, consistentiam, & grauitatem specificam, quae a cortice renum

versus

verſus infundibulum peluis magis magisque increſcit.

4) Viſcerum & muſculorum abdominis decentem in vias vrinales actionem, quae & a vitalitate, & ab elatere fibrarum illa componentium, & ab humoribus hic transcurrentibus optime mixtis, dependet.

§. VI.

Quando nihil praeternaturale (§. III.) circa vrinam obſeruatur, diureſis quoque fugit medicamentorum thecas, quia varia vrinae quantitas, qualitas diuerſa, contenta, conſiſtentia, color, excernendi tempus modusque, interdum determinantur a ſubiecti temperamento, aetate, ſexu, vitae genere, climate, conſuetudine, rebus nonnaturalibus, vt aëre, ſecundum diuerſa anni tempora ac horum tempeſtates differente, victu ac potu quantitate & qualitate diverſis *d*), motu excedente aut deficiente, quiete, ſomno, vigiliis, animi pathematibus, ac excretionibus nimiis, aut conſuetis remanentibus.

d) Vid. *Frider.* HOFFMANN l. c. §. I. pag. 388. §. XVI. Schol.

§. VII.

Si vero praeternaturale quidpiam in vrina reddenda ſubeſt, tunc illud vel in maſſa latitat ſanguinea, vel in viis vrinae ſe- & excernendae dicatis. Vtrumque viſcera vitiata pro cauſa agnoſcit, quibus ita comparatis, humores per ea non rite mouentur, muſculi abdominis tono deſtituuntur, vnde vrinae excretio aut plane ceſſat, vti in *iſchuria* id contingit, aut imminuitur & difficulter ſuccedit, quod in *dyſuria* euenit, aut cum ardore & dolore profluit, quem affectum *ſtranguriam* vocamus, in eoque pariter ac

prae-

praecedentibus, pro varia materiae dispositione, varios characteres vitiosos, quoad momenta §. III. iam adducta, deprehendimus.

§. VIII.

Emendare itaque diuretica debent circulum massae sanguineae, eiusque motum intestinum, iusto celeriorem nimirum retardando, tardiorem vero accelerando, quo partes ad secretionem decenter praeparentur, debitam grauitatem, impulsum & moram pro adhaesione necessariam acquirant. Hacce ratione in morbis acutis, vt febribus continuis, inflammatoriis, exanthematicis, lentis ac hecticis, indicantur vt diuretica ea, quae resolutorium horum motum infringunt, qualia inprimis sunt incrassantia, absorbentia, diluentia, & refrigerantia. E contrario autem in morbis chronicis, laesam sanguificationem pro fundamento habentibus, febribus e. g. intermittentibus, morbis serosis a quantitate excessiua, vel qualitate seri vitiosa, salsa scilicet, dependentibus, vt adfectibus catarrhalibus *e*), cachecticis, hydropicis, hypochondriacis *f*), hystericis, scorbuticis, arthriticis, calculosis *g*), scabiosis, venereis, &c. & iis, qui ex viscerum obstructione sabuloso-pituitoso-scirrhosa prognascuntur, conducunt diuretica sanguinis motum quadantenus accelerantia, siue stimulantia, nec non sanguinem attenuantia, viscidum diluentia, & resoluentia debitaque salia restituentia. Indirecte autem frictiones, balnea, motus, sternutatio, cantus, tussis moderata ac risus, sub diureticorum nomine veniunt.

e) Conf. *Georg.* BAGLIVII Opera medico-practica & anatomica, Prax. Lib. I. Cap. II. p. 7. edit. Antw. cIↃIↃccxv.

f) Vid.

f) Vid. WILLISIVS in Pathologia cerebri, tractat. de morb. conuulſiu. Cap. XI. pag. 184. 185. & Cap. X. pag. 166. 167.

g) Vid. *Ioh. Iacob.* WALDSCHMIDII Oper. medic. practic. Tom. I. p. 423.

h) Vid. *Hermanni* BOERHAAVE Tract. de viribus medicamentorum, Part. II. Cap. VIII. & IX. pag. 145. 146.

§. IX.

Vti in reliquis corporibus, ita in corpore humano motus vitiatus ſemper proportionatus eſt deprauatae materiae conditioni & mixtioni, vt, quae intemperie calida laborat, & a cacochymia bilioſa producitur, exhibeat effectus motus celerioris; intemperie vero frigida peccans, & a cacochymia pituitoſa introducta, ſiſtat motus tardioris phaenomena. Hinc intemperiei calidae ſtatus communiter ſeri defectum agnoſcit, vnde viarum ſiccitas & ariditas ſequitur; frigidae vero & ſiccae intemperiei ſtatus, a cacochymia melancholica productus, infert motum tardum, cum rigiditate ac denſitate fibrarum maiore, quemadmodum frigidae & humidae intemperiei ſtatus, a cacochymia ſeroſa, vel pituitoſa, ſeroque abundante obortus, inducit motum tardum, debilem, cum fibrarum vias componentium mollitie, flacciditate, turgeſcentia, ac relaxatione. Hinc, prout ſanguis eſt conſtitutus, ita ſine dubio etiam vrina, tanquam excrementum eiusdem indolis, quoad quantitatem, qualitatem & excretionis modum comparata deprehenditur, quatenus, quicquid in veſicam per vreteres defertur, id omne dein iterum profluit, dum haec quaſi expanſionem vreterum conſtituit. Intra vreteres vero deuehitur ex ramis papillarum, qui ex infi-

nitis renalibus oriuntur canalibus, demonstrantibus in re anatomica celeberrimis illis antesignanis, MALPIGHIO & RVYSCHIO. Sunt vero omnes illi canales exiguarum glandularum renalium emissaria, & quicquid vrinosi in his haeret, id omne ex arteriae emulgentis ramis deriuatur *i*).

i) Conf. BOERHAAVE Tractat. de viribus medicamentorum, Part. III. Cap. XIII. pag. 255.

§. X.

Dum itaque diuretica excretionem illam accelerant & promouent, debent sanguinem & inde secernendam vrinam praeparare, id quod pro diuersa intemperie vario fit modo variisque medicamentis. In calida ergo intemperie diuretica sunt,

1) quae particulas salinas, alcalicas scilicet acres, inuolvunt atque obtundunt, vt absorbentia, terrea, sulphurea fixiora, non acria, specifice leuiora, ex regno animali & vegetabili desumta, temperantia dicta. Eiusdem census sunt: Lapid. 69. conchae, testae ouorum, succinum album praeparatum, lapis Iudaicus, semen lycopodii.

2) Quae ebullitionem sanguinis sulphurque liberatum supprimunt, atque sic refrigerantem exserunt effectum. His merito adnumerantur nitrosa, vt nitrum tabulatum, regeneratum, &c. item acidula, qualia sunt clyssus antimonii sulphuratus, syrupus violarum, berberum, acetositat. Citri, spiritus salis & nitri dulcificati, &c.

3) Quae serum calore dissipatum ac imminutum restituunt, in quorum vocantur numerum aquea, diluendo agentia, e. g. aqua fontana, acidulae, infu-

infuſa pugillaria, atque decocta ex herbis nitroſis ac refrigerantibus parata.

4) Ea, quorum ſal in aquoſo - oleoſo expreſſo, & terreo principio haeret. Eiusmodi ſunt ſalia implicita, mucilaginoſa, farinacea, ſub emulſionis forma exhibita. Huc referuntur quoque ſemina IV. frigida maiora, ſemen nymph. nuclei perſicorum, ceraſorum, fructus alkekengi, aquae quaedam deſtillatae, ſperma ceti, oleum amygd. dulc. ſerum lactis, aliaque huius commatis.

k) Vid. *Georg. Wolffg.* WEDELII Amoenit. mat. med. Lib. II. Sect. II. Cap. X. pag. 383.

§. XI.

Frigida in intemperie, quae eſt vel ſimpliciter viſcida, ſeu pituitoſa, vel viſcida & acida, vel viſcida & acris, ſiue ſalſa, vel ſicca & terrea ſalina, aut tartarea, requiruntur tanquam diuretica:

1) Quae viſcidum reſolvunt, humores ſpiſſos incidunt, & poris renum commenſurabiles reddunt, atque cum fluidis remixta fibras viarum vrinalium ſtimulant, quo excretio vrinae ſuccedat largior. Ex horum claſſe ſunt ſalia alcalina, media, interdum ſulphure mixta, per ſe, aut ſaponaceo quodam oleoſo, quae, vt compoſita, maioris ſunt efficaciae, & in inſigniori humorum viſciditate praecipue vtilia iudicantur. Locum hic obtinent ſal iuniperi, ononidis, geniſtae, ſtipitum fabarum, ſuccini volatile, tartarus crudus, tartariſatus, vitriolatus, arcanum duplicatum, arcanum tartari, baccae alkekengi, cynosbati, lignum fraxini, ſemen milii ſolis, ſaxifra-

giae, lumbrici terrestres praepar. ex coccionella & cantharidibus parata *l*), ac supra allata absorbentia, nec non diluentia aquea non mucilaginosa.

2) Viscidam ac acidam intemperiem alterant, partim absorbentia dicta, partim alcalino volatili oleoso acri principio praedita, partim adsumta calida, partim motus corporis lenis. Haec constituunt lapis lyncis, pisolithus, arillae & nuclei cynosbati, radices amaricantes, acriusculae, & herbae eiusd. generis, rad. 5. aperientes, herba virg. aur. heder. terrestr. capillorum vener. flores genistae, indeque parata salia, Tinct. Tart. simpl. & compos. cum Tinct. antimon. & Ess. succini remixta. Haec omnia acidis, vt contraria, resistunt, vt salia sulphureas sanguinis partes resoluunt, igneas liberant, & sic motum retardatum ac nouam cohaesionem impediunt.

3) Acris porro, siue salsa intemperies, emendatur quoque per dicta absorbentia, diluentia, aquea, infusa aperientia, aquoso-oleoso expresso terreo principio instructa, mucilaginosa, farinacea.

4) Siccae & tartareae intemperiei succurrunt veluti diuretica, laudata diluentia, salia acida depurata, itemque media, quae dissoluunt & attenuant partes crassiores, terreas diuidunt, cohaesionem impediunt, & secretionem augent, vt spir. salis & vitrioli dulcificati, Tinctur. aperitiua Moebii, nitrosa omnia, & vegetabilia acria & incidentia.

5) Quodsi vero tales intemperiei species maiora sumant incrementa, aliis excretionibus, per al-

uum

uum videlicet aut ſudorem, cohibitis, tunc purgantia, ex quorum claſſe ſumuntur caſſia & rhabarbarum, aut diaphoretica, tam antimonialia, quam temperata alexipharmaca, diureticorum ſupplent locum. Differunt enim diuretica gradu ſaltem a diaphoreticis: fortius haec pellunt, fortius reſoluunt, & copioſius euacuant. Aſt diuretica blandius reſoluunt, mitius mouent, parciusque euacuant, & vices priorum nonnunquam gerere debent in iis, quos fortius mouere haud licet, quibusue cutis denſior eſt. Purgantia, quatenus fundunt humores, ad vaſa vrinaria ſimul ablegant ſerum, & intuitu conſenſus inteſtini recti cum veſica, praecipue in maribus, neceſſario quoque vrinae excretio tali ratione ſimul prouocatur *m*).

p) Vid. BAGLIVII Oper. medic. practic. anatom. & ſpeciatim Diſſ. de vſu & abuſu veſicant. Cap. 2. & 3. p. 651. ſeq.

q) Vid. WEDELII Amoenit. mat. med. Lib. II. Sect. Cap. X. p. 388.

§. XII.

Dantur quaedam etiam medicamenta, quae non intemperiei ſolum medentur, ſed actionem in renes & veſicam inſimul exercent, vti ſunt cantharides & millepedes, ardorem nimirum in renibus, doloremque in ceruice veſicae vrinariae excitando. Alia vero remedia ſeroſis ſanguinis partibus ita adhaerent, vt per eadem naturalis vrinae color ad ſenſum mutetur. Talia ſuppeditant exempla crocus & rhabarbarum, vrinam flammeo imbuentia colore; caſſia, quae in parua doſi exhibita vrinam reddit viridem,

in maiori fuscam, in maxima atram; asparagi turiones, foetorem conciliantes, ac terebinthina, quae violaceum ipsi communicat odorem *n*). Eiusmodi medicamenta audiunt *specifica diuretica*, non ob vim peculiarem vrinam pellendi, sed quatenus massam serosam aeque ac sulphuream resoluunt, sicque particularum cohaesionem imminuunt.

n) Vid. inter alios BOERHAAVE, de viribus medicam p. 218. & Illustr. HAMBERGERVS in Observ. ad mat. med. Msct.

§. XIII.

Non parum contribuit ad circulum sanguinis, praecipue per renes, tardiorem reddendum, nimia sanguinis quantitas, quae partim fibrarum tonum superando sanguinis impulsum debilitat, partim ob maiorem copiam sanguinis in vasculis contenti expansionem naturalem motumque destruit intestinum. Hoc facto globuli in sanguine contenti praeternaturaliter cohaerent, sanguis condensatur, particulae ad se- & excretiones minus aptae redduntur: hinc partis rubicundae conciliatur in tubulis renalibus stasis, vnde nephritis profunda & superficiaria oriri potest. Hisce in casibus diureticorum vice funguntur V. S. aut cucurbitulae scarificatae, femoribus ac suris adplicatae: depletis enim vasculis sanguiferis fibrae se iterum contrahunt, stasis expeditur, hocque peracto vasa vrinam vehentia amplius acquirunt spatium, per quod vrina dein moueri queat.

§. XIV.

Impotentia vasorum decenter transmittendi ea, quae transmitti debent, gignit obstructionem. Haec latet aut in ipsis vasis vrinam vehentibus, aut a vasculis proxime his adiacentibus producitur, cuius posterioris

caus-

cauſſae eſſe poſſunt cacochymiae, varias humorum intemperies (§. X. XI. XII.) inducentes, quae eiusdem generis diuretica quoque indicant. Ipſorum autem vaſorum vrinalium obſtructio oriri ſolet,

1) ex vitiata humorum ibidem ſecernendorum qualitate, laeſoque ſe- & excretionis modo;
2) nimia fibrarum, tubulos componentium, conſtrictione aut relaxatione;
3) impedimentorum aliorum, ratione excretionis vrinae, concurſu, qualia in numerato ſunt, particulae nimis graues ac magnae, viſcidae, tartareae, ſulphureae, ſanguineae, purulentae, in viis hiſce haerentes, aut peregrinum quoddam, vaſa vrinam ſecretam vehentia obſtruens, id quod conſtituit materia ſabuloſa viſcido immerſa, calculus, caruncula in vrethra haerens, aut ab extra quodlibet comprimens, ſiue id fiat in vreteribus, ſiue in collo veſicae.

§. XV.

Humores in viis vrinalibus, praecipue in renibus haerentes improportionati (§. antec. num. 1.), aut ita a ſanguine quaſi ex fonte ſeparantur, qua ratione medicamentis indigent diureticis (§. X. XI.), aut eiusmodi in renibus vitiatis ſub adhaeſionis lege generantur, quibus ſufficient medicamenta in ſequentibus recenſenda.

§. XVI.

Ad diuretica optimo iure pertinent, in iis praeſertim caſibus, in quibus vrina propter renum ſtricturam, vel dolorem aut inflammationem viarum vrinalium, neque ſecerni & deriuari, neque excerni poteſt, varia adpropriata, pro cauſſarum & circumſtantiarum ratione ſeligenda. Accidere enim id ſolet in ſpaſmis

lumborum, doloribus colicis, articulorum morbis, nephritide, scorbuto, malo hypochondriaco ac hysterico. In his vero ratio latitat saepius & in humido hisce in partibus deficiente, & in copia partium terrearum, modo in salibus acribus non decenter his inhaerentibus, modo in humoribus abundantibus, ac inde orta fluidorum stagnatione & infarctu vasorum, nec non in nimia vasorum repletione, vnde secundum diuersas has determinantes rationes varia quoque adhibenda veniunt diuretica. Humidum ergo restituunt, partes terreas fluxiles reddunt, nec non salia diluendo ac inuoluendo temperant, humida, aquea, aquoso-oleosa, mucilaginosa, emollientia, in- & externe varia sub forma exhibita, vt fotus, cataplasmatis, vnguenti, linimenti, clysteris, linctus, haustus, infusi, ac decocti, partim supra dicta (§. X. num. 3. 4.) partim potulenta diluta, iuscula temperata, ex pineis, pistaceis, althea, malua, flor. lilior. albor. violar. verbasci, chamomillae, semine lini, farina fabarum, orobi, caric. pinguibus, &c. parata. Infarctus vero vasorum monstrat horum depletionem per supra posita (§. XI. num. 5. & §. XIII.), & materiae stagnantis resolutionem per discutientia, leniora diaphoretica & iam recensita (§. XI. num. 1.), semper cum emollientibus, tanquam paregoricis, combinata. Verum enim vero eo in casu, vbi dolor vrget absque inflammatione, etiam MP. de cynoglossa, aut de styrace, aut crocata, nec non alia *o*) eiusd. generis, praeuia tamen omni circumspectione prudenti, praescribi possunt.

o) Vid. BOERHAAVE de viribus medicament. Part. III. Cap. XIII. p. 260.

§. XVII.

§. XVII.

Saepius etiam, vti iam dictum est, propter tubulorum renalium & meatuum vrinariorum atoniam, & inde inductam seri tartarei, salsi, viscidique subsidentiam, ac vrinae quietem, obstructio oritur, istaque atonia intemperiem frigidam & humidam, aut nimiam fibrarum mollitiem, pro caussa agnoscit. Debilis, vel plane impeditus liquidi subtilissimi elastici in renum neruos influxus, hanc simili modo inducere valet, quatenus illud vel in qualitate peccat, vel quantitate deficit, vti haec contingunt in morbis hydropicis, cachecticis, melancholicis, apoplecticis, paralyticis ac soporosis. Haec vitia quando blande adstringentibus & renum tonum roborantibus sanantur, postulant, praeter superius adducta (§. XI. num. 1. 2. 4.), cephalica, neruina, succinata & terebinthinata, e. g. spiritus nephriticos dictos, spiritum iuniperi, maluaticum iuniperinum, oleum macis, anisi, acria oleosa aetherea, ex rore marino parata, rad. tormentillae, bistortae, herbam equiseti, pyrolae, saniculae, alchymillae, vincae per vincae, flores rosarum rubrarum, granatorum, fructus cydoniorum, corni, succum acaciae, rob sorbi, rad. rub. tinctorum, acidaque iam adnotata (§. num. 4.). Haecce enim ad ipsam calculi generationem impediendam & praecauendam valent, & sabuli iam concreti remotionem adiuuant, si modo prouide, parciori dosi & conueniente tempore exhibentur. Restituto enim tono vasorum orificia coarctantur, sicque vlterior materiae crassae prouentus retardatur, & massa ibi latitans, irritatione quadam in vasis a talibus medicamentis facta, expellitur *p*).

p) Vid. *Frid.* HOFFMANNI Med. rat. systém. Tom. II. Part. III. Cap. V. pag. 403. item HEVCHERVS in Dissert. de calculo per adstringentia pellendo.

§. XVIII.

Quod ad reliqua impedimenta excretionis vrinae attinet, viae obstructae aperiuntur, prout fert materiae dispositio ac viarum conformatio, per antecedenter demonstrata, & vt eo facilius simul restauretur aequalis per omnes partes humorum circuitus, commendentur balnea ac pediluvia. Diluunt enim humiditate humores, emolliunt fibras, dum aqueae particulae ipsarum interstitiis sese insinuant; calore vero resolvunt, poros aperiunt, ac sudoris excretionem promovent. Inflammationes, in vasculis viarum vrinalium proximioribus obuenientes, sanantur superius recensitis (§. X. & XI. num. 3. & §. XIII.), quae sanguinem acrem alterant, stagnantem discutiunt, fibrasque constrictas aperiunt. Ponamus vero, vnitatem solutam tollere vrinae excretionem, tunc partim vulneraria, seu traumatica dicta, partim materiam exulceratam abstergentia, locum obtinent, qualia habentur adstringentia (§. XVII.), & resoluentia (§. XI.), aut stimulantia (§. XII.), aut absorbentia aqueo-oleosa expressa (§. X. num. 4.), quae simul sanguinem purulentamque materiam euacuant. Particulae demum nimis graues, magnae, viscidae, tartareae, pituitosae, sulphureae, ex eiusdem generis cacochymiis descendentes, eadem medela corriguntur aut euacuantur, quam cacochymiae secundum superiora (§. IX. sqq.) postulant.

§. XIX.

§. XIX.

Ipſe calculus, aut concretum ſabuloſum, vel in renibus, vel in vreteribus, vel in veſica vrinaria, vel in vrethra haerens, tamdiu vrinae excretionem imminuit, aut ſaltem impedit, quamdiu aut maiori magnitudine, vel grauitate, vel duritie vaſa diſtendit, aut ſuperficiali quadam aſperitate fibras irritat & ad ſpaſticam conſtrictionem ſollicitat, vel vias dilacerat, id quod calculus incuneatus teſtatur, quem non raro mictus cruentus, aut purulentus excipit. Illa vero medicamenta, quae huncce calculum, praeter extractionem manuali operatione peragendam, ex hiſce vtplurimum anguſtiſſimis viis educunt, nuncupantur *lithontriptica*. Haec agere debent:

1) coagulum tartareum praeparando, & hocce poris commenſurabile reddendo:
2) vias ſufficienter dilatando, ac harum impulſum, ſi debilis ſit, promouendo, & ſic pellendo;
3) reſiſtentiam vaſorum imminuendo, & ſic fluxum verſus renes parteſque excernentes determinando.

§. XX.

Caruncula, ſaepenumero in viis vrinam vehentibus haerens, aut in renibus ac vreteribus, aut in vrethra, ſibi locum figit, haſque partes vel in totum, vel quoad partem obſtruit. Prior ſtatus, quia tunc excreſcentia talis neque manu chirurgica, neque remediis tangi poteſt, absque curatione in ſuſpenſo manet; in poſteriori autem reſtitutio locum habet,

ope nimirum chirurgica & pharmaceutica carnem induratam absumendo mediantibus septicis & cathaereticis, vrethrae prudenter adplicatis. Reliqua, quae exterius vias hasce comprimunt, aut in ipso corpore nostro occurrunt, aut externa sunt, & intra corpus demum deueniunt. In posteriori casu eiusmodi obiecta prouide sunt remouenda; in priori vero, vbi talis compressio vel a foetu grandiori, vel a procidentia vteri dependet, requiritur repositio partis in debitum locum, ac medicamenta antea (§. XVI. & XVII.) proposita, ac speciatim, sub pressione nimia a foetu, carminatiua & antispasmodica, e castoreo, cinnab. natiua, nitro, lumbric. terrestr. &c. itemque infusa ex herb. meliss. flor. chamom. vulg. summitat. millefol. &c. parata, interpositis mitioribus laxantibus, optime conducunt.

§. XXI.

Viscerum & musculorum abdominis turbata & incongrua actio in vias vrinae excretioni destinatas (§. V. num. 4.), a vitalitate & elatere fibrarum imminutis, abolitis ac deprauatis, & ab humoribus hic permeantibus non proportionatis ortum ducens, praesupponens specialem visceris impotentiam, humorumque dyscrasiam, quae secundum propriam suam caussam emendanda venit. Fusiorem autem recensionem & enarrationem illorum morborum, quibus communiter dysuria, ischuria, stranguria, calculus, &c. iungi solent, tam ob paginae angustiam, quam quia aliunde ex pathologicis haec constant, merito heic omittimus.

§. XXII.

§. XXII.

Vt eo felicius ſuccedat operatio medicamentorum diureticorum, communiter ſimul adiuuatur vehiculis, aut domeſticis, aut adpropriatis, pro medicamentorum conſtitutione ac indole ſeligendis. Primum ergo locum ex iis tenent vehicula aqueo-ſalina, aqueo-ſpirituoſa, ex aromaticis, gummoſis, gummeo-reſinoſis, mucilaginoſis, oleoſis, pinguibus, &c. conflata. Semper tamen probe obſeruetur, vt paulo largiori in quantitate talia ſuperingerantur. Probe etiam aeger obſeruet legitimum ſex rerum non-naturalium vſum. Secundum experientiam praeſtantiſſimorum huius aevi obſeruatorum, melius diuretica agere dicuntur, aëre ſereno moderateque calido exiſtente, ſub quo motus inſtituitur conueniens, qui ipſis diureticis medicamentis palmam praeripere dicitur *q*). Potus dilutus ac optime defecatus ſufficienti ac paullo liberiori in quantitate ſumatur. Excretiones aliae non ſint nimis largae, animusque aegroti fruatur tranquillitate.

q) Vid. SYDENHAMII Opusc. vniuerſa, Edit. Genev. p. 97.

§. XXIII.

Facilitant diureticorum actionem ipſius corporis ad hanc actionem ſecundum artis regulas rite inſtituta praeparatio: agunt enim non modo ex partium conſtituentium vi, ſed & ex receptiuitate in corpus humanum. Quanquam autem diuretica reſolvente ſua virtute ſimul alterantem exſerant effectum, tamen non facile ante praegreſſam corporis praeparatio-

rationem sunt exhibenda, sed vel purgantia blanda sunt praemittenda, vel diuretica cum laxantibus, digestiuis & absorbentibus iungenda, ne vel diureticorum retardetur operatio, vel, quod saepius accidit, a fortioribus viarum vrinalium spasmus, mictus cruentus & alia eiusmodi mala excitentur.

§. XXIV.

An diuretica sufficienter effectum suum ediderint, adparet ex emissa vrinae quantitate. Haec vero mensurari potest secundum morbi caussam, symptomata cessantia, corporis aegrotantis constitutionem, ipsiusque medicamenti adsumti indolem atque dosin. Sic maior vrinae excernitur quantitas in corpore seroso, pituitoso, aut cacochymia serosa laborante, quam in melancholico aut cholerico. Interim tam diu continuentur haec medicamenta, quamdiu symptomata in vigore suo perseuerant. In morbis chronicis, in quibus materia viscida sensim sensimque resoluitur ac euacuatur, quouis fere tempore instituì diuresis potest; ast in acutis circa diem tantum criticum, natura ceteroquin robusta existente, quatenus materia in hisce citius praeparata copiosius excernitur. Medicus insimul probe attendat, an etiam natura & morbus ratione euacuationis materiae peregrinae ad vias vrinales inclinent, an morbifica, vti ferunt, materia in hisce viis saltem haereat, & an vrina secreta per vias tales clausas exire quoque possit. Valet hic veterum regula: Natura si non obtemperet, illi non imperes, eandem non pellas, cum duci tantum velit. Diuretica ex vege-

tabili

tabili regno deſumta, noſtro corpori, ob homogeneitatem, ſunt magis congrua, & in pluribus eximie conducunt caſibus. Ex regno animali & vegetabili deprompta, neceſſitate vrgente, tantum in vſum vocantur.

§. XXV.

Quodſi vero citra Medici ſpem & opinionem accideret, vt operatio horum medicamentorum non ceſſaret, licet materia ſufficienti in quantitate fuerit euacuata, tunc aliis obtundentibus eiusmodi ſalinorum, aut ſalino-ſulphureorum, acriumque diureticorum virtus infringitur. Si vero oleoſa vrinae concitauerint fluxum, blande roborantibus, acido-terreis, ſiſtitur, vel ſi diluentia aquoſa, vias relaxando, copioſiorem vrinae fluxum concitant, renibus ſuccurrimus adſtringentibus.

§. XXVI.

Noxia tandem euadunt in ſubiectis macilentis, melancholico atque cholerico temperamento praeditis, plethoricis, grauidis, puerperis, ac in infantili aut ſenili aetate conſtitutis. Deficit enim vtplurimum in his ſerum, ſanguis abundans nimium agitatur, hinc infarctui, ſtaſibus atque nephritidi anſa praebetur, aut fibrae debiles, vel valde conſtrictae adhuc praeternaturaliter adficiuntur. Nocent quoque praeſentibus primarum viarum cruditatibus, vt idcirco etiam ex eorum peruerſo vtendi modo febres lentae, hecticae, ſanguinisque fluxiones, ob reſolutionem humorum maiorem inductam, ſaepius oriantur. Diuretica, vt reſoluentia, ſanguini quoque minorem conciliant cohaeſionem, vnde, cum motus inteſtinus inſimul augeatur,

spasmis dolorificis adhuc, ob calculum, vel aliam materiam crassam, adflictae partes magis excruciantur, calculumque magis incarcerant, quam protrudunt, vnde vrina non sine vitae periculo ad viarum vsque rupturam retinetur. Sed haec valent de illa prouocatione vrinae positiua, stimulantibus, acrioribus resinosis, aut nimium irritantibus suscepta; mitiora enim diuretica in morbis fere omnibus, singulisque subiectis admittuntur & conueniunt, tanquam tutissima alterantia *r*).

r) Vid. COSCHWITZII Diss. de diureseos prouocatione vtili & noxia.

TANTVM
S. D. G.



PRAE-

PRAESTANTISSIMO, ET DOCTISSIMO

DN. CANDIDATO

SALVTEM ET FELICITATEM OPTAT

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER,

MEDICINAE ET ANATOMIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, NEC NON ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOSOR. SODALIS.

Scientiae medicae adplicatio difficultatibus quam plurimis obsita est, miseraque dicenda medici practici conditio. Etenim non est in medico semper releuetur vt aeger, etsi omnem vigilantiam & peritiam ad restitutionem sanitatis, vitaeque conseruationem impenderit, peritissimusque quoque sub infelici forsan contingente morbi exitu vel peruersa hominum iudicia cum existimationis laesione saepius perferre, vel praestitis praestandis, familiarissimum illud ingrati animi vitium aliorumque odia experiri debet. Quae quamuis tyronem a praestantissimo alias studio deterrere possent, bona tamen mente conscia recti, ac diuinae prouidentiae prasidio opus, etsi periculosae aleae plenum, adgredi, illudque superare debet. Laudandi igitur sunt TVI *conatus*, DOCTISSIME DOMINE CANDIDATE, *quod, quum per plures annos in celeberrimis Academiis ab ore Virorum in arte salutari celeberrimorum pependeris, indefesso insimul labore thesaurum collegeris, quem nunc in* DEI *gloriam*, TVI, *aliorumque emolumentum conuertere, sicque miserias vitae humanae experiri ipsemet possis. Ascendis hanc ob caussam hodierno die cathedram, colophonem vitae academicae addens exoptatissimum. Thema, quod publice defendendum suscepisti, consideratione theoretico practica dignum omnino est, cum constet, quam circumspectus debeat esse medicamentorum* diureticorum *usus. Spectat huc generalis illa, quam* HIPPOCRATES Sect. II. Aphor. 51. *inculcat, cautela practica, inquiens:* multum, & derepente euacuare, aut replere, aut

calefa-

calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus mouere periculosum est. Nam etiam omne multum naturae est inimicum; quod vero paulatim fit, tutum est. *Itaque medicus rationaliter agit, si, quicquid in morbis mouendum, & promouendum sit, id placide perficiat, habito semper respectu ad indiuidualem rationem, morbi indolem, atque remediorum vim. Perpendens nunc,* PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, *securam, quam didicisti, medendi methodum, positis prius solidis tam in re anatomica, quam reliquis Medicinae partibus fundamentis, cupidissimumque* TVVM *aliis inseruiendi animum, non nisi bona quaeuis & felicia augurari possum, neque in posterum de felicissimis laborum successibus dubito, sed vt* TIBI BENIGNISSIMVM NVMEN *fausta quaeuis atque fortunata quam clementissime largiatur, omni animo apprecor.*

Dabam Halae Magd. d. XXII. mens. Iunii

CIↃ IↃCC XLIX.

Artis Apollineae dum summos ambis honores,
Et iam de solidis specimen profectibus edis,
Gratulor & coeptis successus apprecor aequos,
Vt meritum amplus honos & commoda multa sequantur.

Nobilissimo atque Doctissimo Domino Candidato, Amico suo aestumatissimo, ita gratulari voluit

L. H. VMBSCHEIDEN,
Meissenhemio - Bipontinus, Med. C
Opponens.

 